



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Sermo. V. Dotes Architecti Christiani. Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & implui cum Spiritu Dei, Sapie[n]tiæ & Intelligentiæ, & Scientiæ in omni opere. Exodi XXXI.2.3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



S E R M O V.

DOTES ARCHITECTI CHRISTIANI.

*Ecce, vocari ex nomine Beseleel, & implevi eum sp̄ritu DEI, sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ in omni opere.*

Exodi xxxi. 2. 3.

A R T I C U L U S I.

DEUS AUCTOR ARCHITECTURÆ

*Quosdam sibi caros diligit, & designat, ad Architecturam Spiritualem, seu Christianam exercendam.*



I ornamenta omnia, quæ decent Sapien-  
tiæ cultorem, in unum conferantur, Ar-  
chitectum expriment qualem DEUS, pro  
augustissimâ quadam sua Domo, quam  
Tabernaculum fœderis dici voluit, delegit; ut  
meritò in Sapientiæ perfecto Amatore desiderem,  
quod in Architecto DEUS, immò ornatissimum Archi-  
tectum esse debere enunciem. Architecti autem do-  
tes universas brevi syllabo complexus est DEUS iis ver-  
bis, quibus abs se dotatum, ornatumque describit Bese-  
lelem & Eoliabum Tabernaculi sui structores. Est is  
catalogus Exodi xxxi. Loquutus est Dominus ad Moy-  
sen, dicens: *Ecce vocari ex nomine Beseleel filium Uri, filij  
Hur, de tribu luda: & implevi eum spiritu DEI (hoc est) Spiri-  
tū meo. Loquitur enim DEUS, more Hebræo, de se,  
tanquam de aliquo tertio. sequitur: Sapientiâ, & intelli-  
gentiâ, & scientiâ, in omni opere (nempe fabrili) ad excogi-  
tandum quicquid fabrefieri potest, ex auro, & argento, & ære,  
marmore, & gemmis, & diversitate lignorum. Deditq; ei Socum  
Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis  
eruditi posui Sapientiâ, ut faciant cuncta, quæ præcipi tibi.*

D 3

Qui-

SER.

Quibus verbis Scientiarum Dominum, Architecti mores, peritiam, industriam ceterasq; partes, & ornamenta complexum esse præcipui auctores existimant.

OBSERVAT autem imprimis Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum. ex ea narratione deduci: omnes artes & Architecturam potissimum, DEVM auctorem agnoscere. *Quod a DEO sit, inquit, qua arte sit. Est sapiens cogitatio, manifestum est, si hanc dictionem adiecerimus: Et locutus est Dominus ad Moysen:* deinde reliqua subiungit, quæ paulo ante recitavimus. Verius id usurpari potest de Christiani hominis sapientia, & Virtute omni, cuius se studiosum profiteretur. Est enim Auctor et fons omnium Deus, ad quem idcirco confugiendum, & supplice præce auxiliium ingenii que facultas postulanda quotidie. *Sapientia Christiana de sursum est, descendens à Patre luminum, quam frustra aliunde expectes.*

ARCHITECTURAM autem singulari quadam ratione amicis suis communicatam, ad profanos etiam transmississe DEVM in comperto est. siquidem post Beselelem, et Ooliabum, Architectonicam à DEO edoctus fuit, ut ceteras omnes artes ingenuas ac scientias, Salomon, quem Architecturæ Principem extitisse atque doctorem, tanto Tabernaculi fabricatoribus præstantiorem, quantum templum Jerosolymitanum Salomonis, magnificentiam & artificium superavit Tabernaculum Mosaicum negare non possumus. Neque solum Græcos atque Romanos accepisse & didicisse, quæ habuerunt in Architecturâ admiratione digna à Salomonis Sapientia, sed prætereà ex Salomonis operibus, signatè verò ex ædificato ab ipso templo optima ædificandi præcepta, tum lectione, tum aliorum relatione accepisse, asserunt probantque Hieronymus Prædicator, & Joannes Baptista Villalpandus, quod cur neget Antonius Possevinus non video. Pa-

rentem

rentem quoque Salomonis eadem Sapienciã Dominus instruxerat qui filio quoque fuit magister. Nam cum David accepisset schemata & descriptionem universam Templi ædificandi, ipse deinde illa tradidit filio. libro I. Paralip. xxviii *Elegit te (David) Dominus ut ædificares Domum sanctuarii: confortare, & perfice. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem.*

## ARTICVLVS II.

## DEUS SCIENTIARUM DOMINUS

*Architectura Sacra instruit eos, quos vocat ex nomine*

**E**XEMPLVM habemus in Beseleel. Ecce, inquit, vocavi ex nomine Beseleel. Quod explicans Glossa, His verbis, inquit, paterna DEI erga hominem illum voluntas exprimitur, plena humanitatis & pietatis. Itaque qui DEO cari in paucis, qui Numini peculiariter grati, qui eidem familiares, spiritali divinaque Architectonica implentur à Domino. Hæc enim et ejus generis plura significat loquutio illa, *Vocare, aut nosse ex nomine.* Sic Moyses magna erga DEUM fiduciã dicebat ad Dominum: *Præcipis, ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum: præsertim, cum dixeris mihi: Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me,* Exodi xxxiii. 12. Ubi particula, *Et,* est causalis, quàm rectè resolvas hoc modo, *id est, vel quia invenisti gratiam coram me.* Cui deinde ipse Dominus: *Invenisti gratiam coram me, & te ipsum, novi ex nomine:* hoc est, es mihi gratosus. Chaldæus, *Vocavi te ex nomine:* sensus est, te compellare nomine tuo sum solitus. Quemadmodum bonus Pastor ajebat se proprias oves *vocare nominatim* Joannis x.

LXXII. Interpretes ita phrasim illam exponunt *ὁ ἰδὼς ἅπαντας:* novi te præter omnes: q̄ est idē ac melius te novi cæteris plus, gratia vales apud me, quã ceteri: At nonne

DEUS omnes novit æqualiter? nonne scientia infinita omnes æque comprehendit? nonne DEUM nihil latere potest? ita est, si sit sermo de *Scientia* seu notitiâ purè, speculativâ; at si practicam attendas, & illam signatè, quæ dicitur *Approbationis*, quosdam solum ea respicit. qui approbantur & diliguntur peculiariter, nempe, illos quos novit, & vocat ex nomine. Significavit igitur paramiali phrasi illa DEUS, Beseleem sibi ceteris magis familiarem, uti & Moysem: quippe, quum non de facie tantum, nec monitu nomenclatoris ut solent Principes plerosque suos subditos nosse, sed de nomine noverit, vocaveritque, quod inter homines est maximè familiare & conjunctissimorum. Sic Deuteronomii secundo scribitur. *Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum*: id est, approbavit, direxit, favit iter facienti, Chaldæus paraphrasticè: omnia necessaria affatim suppeditavit. Psalmo 1. eodem intellectu, *Novit Dominus viam iustorum*: & altera ad Timoth. secundo, cognovit Dominus, qui sunt ejus, scivit, approbavit, dilexit. Illos igitur donat DEUS cælesti Architectura, quos amat eximie, & familiaritate sua prius est dignatus.

## ARTICULUS III.

## ARCHITECTUS CHRISTIANUS

*Virtutibus præditus,*

QUONIAM proprium est Amoris divini, ut bonos dignosque diligat, & prius, si non sint tales, faciat est enim id ejus potentia, in cujus manu sunt corda hominum, facile colligas, singularem constantissimamque voluntatem illam, qua fertur erga eos: quos ex nomine agnoscere, & vocare dicitur, consistere non posse nisi

nisi cum eximiâ quadam morum integritate, & sanctitate vitæ, quæ cum exercitatione virtutum cōiuncta est. Et sanè in Architecto non solùm iudicâdi operandi-que egregiam facultatem, sed præclarissimas etiam animi virtutes profani æque ac sacri auctores exigunt. Censent etenim & scientiâ imbutum esse debere haud vulgari, ne ignorantia peccet in opere: & moribus integerrimum, ne cupiditate, aut malitia transuersum agatur.

Ob quam causam Vitruuius optimus Architectonicæ Magister, cuius opera etiam hodie omnium manibus teruntur, varias in linguas transfusa, Architectum Philosophiæ præceptionibus volebat esse eruditum, quod ijs, propter Ethicam, morum integritatem posse assequi, existimaret. Ita autem disserebat. *Philosophia perficit Architectum animo magno, & uti non sit arrogans, sed potius facilis, æquus, & fidelis, sine auaritia, quod est maximum: nullum enim opus sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus, neque in muneribus accipendis habeat animum occupatum, sed cum gravitate suam tueatur dignitatem: bonam famam habendo.* Hæc Philosophia præscribit Platonica & Aristotelica: plura de fide, spe, charitate, de cultu religionis, de sacris & cæremonijs, virtutibus infusis et adquisitis, alijsque ad Euangelicam perfectionem spectantibus adiungit Philosophia Euangelica, secundum quam vivere debet Architectus Christianus.

ARTICULUS IV.

SPIRITUS DEI

*in Architecto Christiano.*

**P**LENIUS superiora, & multa alia complexus est Deus, dum dixit, ad Architecturæ disciplinam capiendam, se impleuisse Beseleelem Spiritu DEI. Spi-

D §

ritus

ritus DEI requiritur in Architecto Nostro. Quis ille qualisq̄ue est Spiritus? Notat Caietanus ab Hebræo suo Magistro instructus, in Hebraico haberi, *Spiritum Elohim*, hoc est, *Spiritum divini iudicii*, ut divinus Archifaber sit in ejusmodi operibus. Et quidem vox *Elohim* denotat supremam potestatem, quàm in omnia quæ in cælo, terra, & infra hanc sunt exercet DEUS: quodque rerum omnium potiatur, ut Rex, Dominus, Princeps, Judex. Quamobrem, Angeli aut homines divinam repræsentantes potestatem ita aliquando appellantur.

Psalmo LXXXI. DEUS, (*אלהים*) *Elohim*, *stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos, Elohim, dii iudicat*: Chaldæus vertit, ut solet, per paraphrasim, DEUS Divinitatem suam posuit in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, in medio Judicum. Rabbi Abraham *Angelos* legit: R. David *Judices*. Quod ab Architecti notione, ut animaduertunt Pradus & Vilalpandus, non est admodum alienum. Siquidem Architectus significat principem, aut caput fabrorum: estque idem ut iudex, aut princeps quidam inter opifices. Ejus enim iudicio, inquit Vitruvius, probantur omnia, quæ à ceteris artificibus perficiuntur opera. An non talis est Christianus Sapiens? vir DEI Spiritu plenus, ideoque verè Spiritus, & iuxta lex sincerus, de quo Paulus Apostolus: *Spiritalis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*, primæ ad Corinthios secundo. Nimirum idem Sapiens, & est Architectus, & Criticus Christianus, ut suo loco uberius ostendimus. Est itaque, hoc sensu, Architectus Spiritu DEI & iudicii plenus, ut rectissimè queat inter bonum & malum, utile ac delectabile, honestum & turpe, perfectum & imperfectum discernere.

VERUM, latet fortasse sensus alius in uocula DEI, quæ, apud Hebræos, superlativi vicem obit, sicut &

VOX,

VOX, Domini. Pervulgata sunt illa: Cedri DEI, visiones DEI; Ciuitas DEI, Jonæ tertio, quam Interpres magnam vocat, & erat Ninive, Exercitus Domini: Paradisus Domini; Spiritus Domini. Similia multa occurrunt in Diuinis litteris. Itaque Spiritu DEI repletum fuisse Architectum Beselelem, idem est, quod accepisse spiritum magnum, ingentem, sublimem, qualem Architectus DEI postulat, cum profanum quoque illum suum Vitruuius à Philosophiâ voluerit perfici *magno animo*. Hunc sensum indicat S. Augustinus, qui quæstione cxxxviii, in Exodum ita scribit: *Vtrum Spiritus-Sancti muneris, etiam ista opera tribuenda sunt, quæ pertinere ad opificium videntur? An & hoc significatiue dictum est, vt ea pertineant ad Diuinum Spiritum Sapienciae & Scientia, quæ hic rebus significantur? Tamen etiam hic cum spiritu repletus dicatur iste Sapiencia & Scientia, nondum legitur Spiritus-Sanctus.* Certè, D. Augustinus, cum Spiritum DEI, quo repletus dicitur Architectus, non velit Sanctum dici Spiritum, negare videtur, ad Spiritus-Sancti dona, Sapienciae, intellectus: consilii, & scientia pertinere: quamuis, cum Architectonica, ars sit bona, seu scientia, eaque perfecta, absque DEI Diuinique Spiritus dono & gratia haberi nequit. Videtur igitur Doctor Augustinus velle, Spiritu repletum debere esse Architectum, id est, animo magno & excelso, quem magna deceat cogitare & moliri, magnis plurimisque imbui disciplinis, denique, artificibus aliis. vt ipso tum caput & principem, imperare.

(::)

ARTI-



## ARTICVLVS V.

DEVS ARCHITECTVS SAPIENTISSIMVS.

*Sapientia Architecto est propria.*

POST Spiritum DEI Beseleeli ad architectandum cō-  
municatum, additur Sapientia, quæ secundum vocē  
originariam, complectitur, tum certam rerum, tam hu-  
manarum, quàm Diuinarum cognitioem; tum pru-  
dentiam, ac futurorum prævisionem, quæ prouidentia  
nomine denotatur. Est autem Architecti proprium or-  
namentum Sapientia, Quare DEVS, quando, vt Archi-  
tectus inducitur Sapientia illi cum Prudentia adsigna-  
tur. Ieremiæ x. *Qui facit terram in fortitudine* (id est, Omni-  
potentia) *sua: preparat,* (hoc est, firmat) *Orbem in Sapientia*  
*sua: & Prudentia sua extendit calos.* Quibus indicat Prophe-  
ta, inter perfectiones Diuinas, Sapientiam potissimum  
esse & Potentiam, quas DEVS, tanquam Architectus in  
Mundi fabricâ, & rerum omnium opificio constituen-  
do & conseruando adhibuerit. Et est sanè DEI *Sapientia*  
*Architectonica,* immensa, nullis constricta terminis. *Sapi-*  
*entia eius non est numerus,* Pl. cxiv. nobis incomprehen-  
sibilis. *Sapientiam DEI præcedentem omnia quis inuestigabit?*  
Ecclesiastici i. *Vbiq̃ obuia: Effudit illam super omnia*  
*opera sua,* Ecclesiastici i. *Quam magnificata sunt opera tua,*  
*Domine. omnia in Sapientia fecisti.* Plal. ciii.

## ARTICVLVS VI.

PAVLVS APOSTOLVS

*Sapiens Architectus.*

PAVLVS si quis alius ex Apostolorum choro, habuit  
omnes illas dotes, ac virtutes, quæ in Architecto  
Christiano uumeris omnibus absolutissimo requirun-  
tur

tur; sed præcipue Sapienciam Architectonicam. Quod sumo ex Elogio Pauli, tanquam Architecti, conscriptum à Paulo ipso Architectante Corinthios, quos ita alloquitur in epistola: *DEI Aedificatio estis*, ( 1. ad Corinth. cap. 3. vers. 9. ) *ô Corinthij! ô Auditores mei! vos Aedificium vos Palatium, vos Templum estis. Cuius-nam Architecti? DEI, vt primarij; Pauli, vt secundarij. Nam per gratiam DEI, qua data est mihi, vt Sapiens Architectus, fundamentum posui. Non mea est hæc fabrica, non meum est hoc opus, Ecclesia Corinthiaca. Licet enim ego, vt Sapiens Architectus, prima illius fundamenta, catechizando, euangelizando, docendo, instruendo, hortando, iecerim, tamen quicquid ego feci ac perfeci, nõ meis ego viribus, sed gratiæ diuinæ præsidij effeci. Quicquid in vobis ædificatum est, omnis virtutum in animabus vestris fabrica non mihi, sed gratiæ DEI tribuenda est. Ex hoc Apostoli effato habemus, I. DEVM esse Architectum in quolibet Aedificio spirituali. II. Paulum fuisse Architectum, quatenus fuit Apostolus Corinthiorum, eorum Pastor, concionator, instructor. III. Proprium Architecti epitheton esse SAPIENS. Quanta autem fuerit in Paulo sapientia, vt verè dici poterit *Sapiens Architectus*; verbis vix explicari potest: certè explicare satis non potuit summus Orator Chrysostomus, quid speremus, anseres inter olores? Conemur tamen aliquid.*

SAPIENTIA quatenus rerum humanarum diuinarumque cognitionem, seu doctrinam comprehendit, vel est *Profana*, seu peregrina, quam Patres antiqui Græcancam vocabant, vel est *Sacra*, domestica, Ecclesiastica. Illa continetur in veterum Philosophorum, Historicorum, Poëtarum, Oratorum, aliorum Philologorum, eruditorumque virorum scriptis: hæc habetur tum ex Diuinis

nis litteris, tum ex traditione Ecclesiastica, tum ex inspiratione Diuina. Vtraque quadamtenus necessaria est, certè, utilis Architecto Euangelico, Concionatori, Magistro, Instructori, Doctore. Vtraque excellunt supra quã dici potest Paulus Apostolus. Errant, qui existimant ad Architectum Euangelicum, qualis esse deberet Ecclesiastes, sufficere, quod leuiter tinctus sit litteraturã aliquã vulgari: quod sciat non nihil ex Sacris litteris, quod habeat aliquam notitiã historiã Ecclesiasticã, Catechismum puerilem calleat, Decalogum promptè recitet, præcepta Ecclesiã non ignoret: cetera rudis: peregrinus in doctrinã sæculari, in historiã gentium, in Poëtarum commentis, in Oratorum voluminibus, in Philosophorum dogmatibus, in auctorum quorumcumque scriptis.

DEBET Ecclesiastes perfectus, esse Architectus Sapiens, non semi-sapiens, non semi-doctus, non semi-theologus; sed plenè sapiens, scientiã sacrã & profana: scientia vulgari & abdita: Scientia acquisita & infusã: Scientia humana & Diuina. Sermo Ecclesiasticus haud vulgaris, non debet esse macer & exsiccus, sed pinguis & adipatus, non ieiunio sed benè fartus eruditione omni. Quod in Moysè commendatur (Act. vii. 22.) laudatur in Stephano protomartyre; (Act. vi.) sed in Paulo potissimùm exprimitur omnibus Euangelij annuntiatoribus ad exemplum. Profecò, Scientia Apostoli naturalis, humana, & & Græcanica, in quã Tarfi, vrbe patriã, ita excultus fuit; vt facillè primas inter suos obtinuerit, plurimum auctoritatis illi attulit apud populos & gentes quaslibet, qui admirabantur in perorante illam Scientiã Græcanicã eminentiam: adeò, vt tradat S. Chryostomus *homil. 3. in 1. ad Corinth.* contendisse inter se Ethnicos, quisnam in ea excelleret magis, Plato an Paulus Tarsensis!

Qui

Qui ita in promptu habebat omnia Sapientiæ illius arcana, ut qualibet occasione ea proferret in medium, & cultoribus profanæ eruditionis promeret inde exemplò, unde confunderentur.

Scribit quidpiam de hac re admiratione dignissimum Clemens Alexandrinus, quod à maioribus acceratur, nam in Actibus Apostolicis, aut Pauli Epistolis non reperitur (a) Quemadmodum DEVS Iudæos saluos esse voluit, dando ijs Prophetas mysteriorum Iudaicorum gnaros; ita saluos voluisse facere Græcorum spectatissimos mittendo ad illos propriæ suæ linguæ peritos, & in ipsorummet doctrina exercitatos. Exemplo sit Paulus Apostolus, dicens (ita scribit Alexandrinus) *libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum DEVM significet, & ea quæ sunt futura. Hydaspem sumite, & legite, & inuenietis DEI Filium, multo clarius & apertius esse scriptum. Quomodo etiam aduersus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen eius gestant et fideles & aduentum & tolerantiam. Idem apparuit in concione illa doctissima & eruditissima, quam habuit Athenis in Areopago, Actuum xvii. differens coram Epicureis & Stoicis Philosophis alijsque Gentilibus, & intimæ ipsorum Sapientiæ mysteria pandens, ac testimonia sapientum profanorum accumulans. Nec aliam ob causam cum concionarius fuisset Paulus coram Felice, Præses obstupescens Sapientiæ vbertatē, exclamauit: *Insanis Paule: multa te litteræ ad insaniam conuertunt*, Actuum xxvi.*

SED parum efficiet Sapiencia omnis naturalis, profana, humana, nisi coniungatur in Architecto Christiano transnaturalis, Sacra, Diuina, cuius excellentiam & profunditatem, quam habuit Paulus. Actus Apostolici, & omnes eius Epistolæ satis indicant, & deprædicarunt eius discipuli. Inter quos Dionysius Areopagita. *Sapien-*  
*tia*

Clem. Alex. l. 6. Stromat. Baron, in appar. Annal.

tie Abyssum(a) vocat suum Magistrum, & communem Christianorum Solem. S. Chrysoſtomus, (b) Cœlum eum appellat, in quo ſit Sol iuſtitia, additque: Paulum eſſe Mare Sapientia puriſſimum & profundiſſimum. Quid S. Hieronymus? qui parum ſe dixiſſe autumat, cum pluriſſima veluti in nucleo conſtipat liis verbis: (c) Paulus va electionis, Tuba Euangelij, regulus Leonis noſtri. flumen loquentia Chriſtiana. qui myſterium retrò generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum SAPIENTIAE, & ſcientia DEI magniſimatur, quàm loquitur. Quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua. Et quid aliud exſpectes ab eo, qui profitebatur, ſe Euangelium Sapientiae cœleſtis epitomen, non ab homine accepitſſe, & didiciſſe, ſed per reuelationem IESV CHRISTI? ad Galat. 1. Qui gloriari poterat haud inaniter, ſe raptum in tertium & ſupremum Beatorum cœlum (11. Corinth. 12.) ibique audiuiſſe arcana SAPIENTIAE verba, quæ non licet homini, nec poteſt mortalis, loqui; quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? 1 Corinth. 2. Qui proteſtabatur prædicationem ſuam, non eſſe in perſuaſibilibus humanae Sapientiae verbis, ſed in oſtentione ſpiritus & virtutis excellere. SAPIENTIAM autem ſe loqui inter perfectos: Sapientiam verò, non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur; ſed DEI Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt: quam prædeſtinavit DEVS ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit. Quid, quod Petrus, cui Pater cœleſtis Sapientiam ab alto communicauerat, Paul Sapientiam deprædicet. (1. 1. epiſt. 2. cap. 3.) Cariſſimus frater noſter Paulus, inquit ſecundum datam ſibi Sapientiam ſcripſi vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis. In quibus quantum lateat

Diui-

(a) Dion. cap. vii. de Diuin. Num. (b) S. Chryſoſt. homil. 4. de laudib. Pauli. (c) Sanct. Hieronymus epiſt. 61. ad Pamma.

Diuinæ Sapientiæ, ita Eusebius (lib. 3. hist. cap. 24.) declarat. Paulus, qui inter ceteros Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, & in sensibus præpotens, non amplius, quam paruulum Epistolarum suarum corpus reliquit. Quod utique immensa continet intra se, latque innumera Sacramenta, utpote, qui usque ad tertium cælum raptus, qua gererentur, inspexerat, & in ipsum quoque DEO dignum Paradisum abductus, viderat ibi ineffabilia verba, & DOCTRINAM illius interim Schola exceperat.

PORRO, Sapiencia tam humana quam diuina, vel est speculatiua. aut theorica, vel practica spectans vsum. Et hæc maximè requiritur in Architecto: nam Architectonica est practica, effectiua. Est autem Sapiencia practica, Sapiencia operans, quæ est Sapiencia Sanctorum, nunquam à virtutibus auulsa, si tamen à virtute distinguitur. Tanta autem hæc fuit in Paulo Architecto, vt cum virtutum omnium ARCAM nominet Chryostomus Sanctus, magnus semper Pauli, sed ex vero, encomiastes, admirator, & assecla, qui omnibus Patronum illum suum Sanctis præferre non dubitat, illustri comparatione bilancis, quam sic proponit. (2. ad Corint. 6.) *Etiamsi quis totum, contra eum iustorum chorum sigillatim appendat, inueniet trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Sed nobis factum est, rudia quædam Sapienciæ Paulinæ lineamenta duxisse, vt omnibus appareat, quàm is verè dixerit: *Per gratiam DEI, qua data est mihi, vt SAPIENS ARCHITECTVS, fundamentum posui.*

---

## ARTICULUS VII.

### ARCHITECTI INTELLIGENTIA.

SAPIENTIÆ in Architecto Beseleele INTELLIGENTIA iungitur: quæ iuxta radicem originalem diuersum quid significat ab illâ. Denotat enim vox Hebræa actum illum mentis, quo res certò cognoscuntur, aut

E

quæ

quo agere quidpiam decernit Artifex, luce quadam peculiarari mentem illustrante; cum verbum Hebraicum, unde fluxit nomen, quod Sapientiam vertit Latinus Interpretes. propriè significet, res similes dissimilesque prudenter discernere, quod mentis indicium vocare possumus, vt Vilalpādus affirmat. (\*) At Rabbi Leui docet Sapientia subesse certam ac primariã rerum cognitionem; intelligentia secundariam, quæ habetur, cum res aliæ ex alijs colliguntur ac deducuntur. Vtramque vocem coniungit Ieremias Propheta, prioremque quasi sequentis causam facit: *Quis est vir Sapiens qui intelligat hoc?* eremias ix. id est, qui sapientia ita sit præditus, vt hoc possit intelligere, & ex præcognitionibus certis deducere? Quare innuitur, Architecto dedisse DEVM notitiam claram principiorum vniuersalium, quæ ad artem artificemque spectant; deinde verò etiam peritiam colligendi & statuendi, quæ ex ijs deduci possunt. atque ita constituendi, quibus ædificium partibus, quâ symmetria, quibus ornamentis perfici possit. Item, definiendi, quot domus integra contignationes, quot in singulis conclauia, quot ambulacra, quot aulas habere debeat: quantum esse oporteat, secundum proportionem palatij peristylum & ex qualibus columnis; quàm amplum impluuium quàm longa lataque ianua, quàm vastum propylæum quomodo constituenda sit, & quot pedum, ante ædes, area.

Hæc similiaque ad Architecti intelligentiam spectant, quæ maximè conuenit Architecto, si Hebraicæ originationis habeatur ratio, quam accuratè perpendit Vilalpandus. Qui asserit vocem architectonicam, ædificare & intelligere, ferè eandem esse apud Hebræos. Et quidem Latinum, *intelligo*. Linguae periti compositum ferunt, ab *inter* & *lego*, quia rem intrinsecus penetratque considerare significat: idemque est in ædificandi vocabulo

(\*) Vilalp. to. 2. in Ezech. p. 2. c. 2. p. 45.

bulo (banah) hebraico, (a) quod *edifico* significat. Ut monetur Architectus, non obiter illi perpendendum suum opus, cum non nisi solerti attentione animi perspectif- que sigillatim omnibus ædificiorum fabricæ perficiantur. A quâ longè alieni sunt, qui ea præstare nec norunt, nec volunt, inquit laudatus antea Templi Ierosolymitani illustrator.

(a) בַּנָּה banah בָּנָה banan.

## ARTICULUS VIII.

## ARCHITECTI SCIENTIA.

IMPLETUS fuit BESELEEL, ut idoneus esset Tabernaculi Architectus, *Spiritu DEI, Sapientia, Intelligentia, & Scientia*, Quæ vox notitiam cognitionemque designat, sed diuersam à Sapientiâ & intelligentiâ, nimirum, labore, industriâ, & experienciâ acquisitam. Quocirca in Diuinis litteris, quando DEVS vel prospera pollicetur, vel minatur aduersa, plerumque subnectere consuevit: *Et scietis, quia ego Dominus*. Solet etiam verbo *videndi* eadem vox coniungi, quasi multiplici plurimum sensuum experimento percipiantur ea quæ perspicacissimo visus sensui proponuntur. Eadem tamen ad internos quoque mentis sensus referuntur. Sic ad Achabum Propheta libro tertio Regum dicere introducit: (cap. 20. 22.) *Vade & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contra te*. Et Dominus apud Ieremiam: (2. 19.) *Arguet te malitia tua, & auaritia tua increpabit te: vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEVM tuum*. Tali scientia cum voluerit Dominus præditum esse Bezelelem ad Architecturam Tabernaculi, monent viri singularis eruditionis, & in Architectura versati: nulli fas esse, tantum ingenij sui perspicacitati tribuere, ut Architectum se evadere posse præsumat, absque scientiâ;



riâ, labore, diuturnaque exercitatione parata. *Quam* enim, quem magnanimum, nempe, impletum Spiritu DEI, Sapientem quoque & intelligentem dixerat Dominus, Scientia quoque præditum asserit.

JAM vetò, quod de Sapientiâ dictum superius, id Scientiæ hic applicandum est: duplicis eam esse generis unum, quod in sola theoriâ consistit, ac mentem perficit: alterum quod ad opus dirigitur, & est factivum, cui prius illud intellectuum dicatur. Ne quis autem existimet practicum Architecto deesse posse, adiungitur: *In omni opere*: ac si diceret, non speculandi solum promptitudinem, sed & operandi facilitatē contuli: distinguuntur enim hæc in Hebræo: quod expressit Codex Regius, quò usus est Vilalpædus, qui sic legit: *Replevi eum (Beseleel) Spiritu DEI in Sapientia, & in Intelligentia, & in Scientia, & in omni OPIFICIO.* Quorū omniū usum finemque, indicant quæ sequuntur: *ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro, & in argento.* Quæ ita expressit vulgatus noster Interpret: *Ad excogitandum quicquid fabricari potest, ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.* Posset enim fingi Doctor aliquis in arte qualibet summus, qui Architectura discipulum, quem perfectissimum operaret, aut vellet, si facere posset, cum tanta cura, diligentia sollicitudine instrueret, ut artium omnium, sed signat Architecturæ Dominus hic fecit? Qui, ut declararet, non supremo solum operarum præfidi, & fabricorum magistro, quem propriè Architectum vocamus, necessaria esse dotes hæcenus expressas, sed alijs quoque operarij Architecto subseruiētibus, adiungit: *In corde omnis eruditus posui Sapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi.* Quod significatur, non duobus solum capitibus, Beseleel, & Olabo, sed omnibus alijs ad ædificandum ex arte delibatis, se dedisse scientiam necessariam. Quod perpendens eruditus interpret Lipomanus, monet, Sapientiam esse

esse donum DEI; non solum autem illam, quæ ad iustitiam spectat, & Pietatem, verum etiam, quæ ad industriam artis exercendæ. Ex quo consequitur, & in confectandis eiusmodi scientijs, ac artibus, ijsque addiscendis, DEI auxilium implorandum esse, & quæ per artem ad DEI gloriam esse referenda: denique quicquid solitudine, ingenio, industria, manibus perficitur, in Architecturâ maximè, Architectorum Principi supremo esse tribuendum, ac consecrandum.


AVDIVISTIS aut spectatis in *Beseleele*, ornamenta, quæ in Architecto requirit DEVS, Magnanimitatem, Sapientiam, Intelligentiâ, Scientiam, quâ speculatiuam, quâ practicam: adde, alios docendi facultatem, quam Aristoteles, in eodem, vt Sapiente, postulat; sed non omisit diuinus Scriptor: nam ijs verbis, *Ad excogitandum quicquid fabrefieri potest*, indicari putat Chaldæus Paraphrastes, aptitudinem instruendi artifices, vt faciant in auro, aliâque materiâ qualibet quæ ipse excogitauerit, & præscribere voluerit. Hæc ornamenta dotes omnes alias, quæ excogitari possunt pro Architecto complectuntur: aliquas designat Vitruuius qui sic scribit: *Cum in omnibus rebus, tum maximè in Architectura hæc duo insunt: Quod significatur, & Quod significat. Significatur proposita res de qua dicitur: hæc autem significat demonstratio, rationibus doctrinarum explicata. Quare videtur vtraque parte exercitatum esse debere, qui se Architectum profiteatur. Itaque & eum ingeniosum esse oportere, & ad disciplinam docilem. Neque enim ingenium sine disciplinâ, aut disciplina sine ingenio perfectum Artificem potest efficere. Sed tam ingenium, quàm docilitas, & alia quæ in Architecto desiderari possunt, multo melius Diuinæ Scripturæ verbis, quam vllius profani Auctoris circumloquutionibus exprimuntur. Iis autem stabilitur constans perpetuumque Architecti epitheton, quo salutaritur SAPIENS, quod & Paulus sibi tribuit sine fastu, &*

Isaias Propheta vniuersim Architectis adscribit, in illa comminatione capitis tertij: *Ecce Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, & Sapientem de Architectis.*

ITAQUE, si Architecti Sapientis titulo gaudere vultis, quod opto, & in vobismet edificare Domicilium virtutis, in proximis palatium Diuinitatis, vtroque Domnum Sapientiæ, Sapientiam imprimis tenerrimè amate: Sapientiam tum Humanam, tum Diuinam. Humana docetur in Gymnasio litterario, & Academia, quam magni facite, & diligenter litteris vacate, quisque pro suo modulo. Diuina traditur à DEO interiore Magistro in Animæ basilicâ, à Concionatoribus in Ecclesiâ. Hac excellere conetur quilibet; sed non modò speculatiuâ, verùm etiam, & multo magis, actiuâ, ac practica, quæ coniuncta sit humilitati, temperantiæ, castitati, alijsque eius generis virtutibus, sed præcipuè Theologicis, Fidei, Spei, & Charitatis, quibus laudetur Supremus boni omnis Architectus.

PATER, FILIVS, & SPIRITVS-SANCTVS

*Amen.*



## NOTÆ.

§. I. **B**ESELEEL filius Uri OOLIAB filius Achisamech. ] Hi duo fuerunt Architecti Tabernaculi, de cuius Ædificatione ita differit Strabus; sine Glossa Ordinaria, Symbolicè. In constructione Tabernaculi mysterium TRINITATIS ostenditur, sicut in Baptismo, & Transfiguratione Christi. In Baptismo enim voce sonuit Pater, & Filius baptizatus est, atque in specie Columba Spiritus-sanctus apparuit. Pari modo hic Ooliab, qui interpretatur, protectio mea Patris personam significat.

BESELEEL, qui idem est, quod umbra DEI, significat Spiritum sanctum, de quo dicitur: Virtus altissimi, id est, Spiritus sanctus, (ob)umbrabit tibi. Iussio autem, hoc est, verbum, quo Tabernaculum factum est, iussum

missum est, est Filius, per quem Pater in virtute Spiritus sancti omnia operatur.

NOTET Architectus Christianus, Ædificationem suam Sanctissimæ Trinitati ad scribendam esse, ut Architecto primario. Si quidem ipsa tam Tabernaculum, seu DEI DOMUM materialem; quàm ejus antitypum Ecclesiam, & animam justi sibi in Templum ædificat, & efformat.

OBSERVET idem, Fidem, Spem, & Charitatem esse Ædificativas, Domus Sapientiæ, & Ædificij spiritualis in ANIMA: quod secundum tropologiam sumitur ex personâ *Beseleel, filii Huri, filii Hur*. Nam *Hur* hebraicè *Candorem* significat, lucemque Candidam qualis est *Fiaci*. *Vri* significat ignem, qualis est *Caritas* at, *Beseleel* significat in umbra DEI, qualis est *Spes*: hæc enim in ope DEI, quasi in umbra securè requiescit. Iam hæc tria, *Fides, Spes, Caritas*, ædificant Tabernaculum, id est, Domum animæ, ut sit Templum Dei, *Cornelius sap. Exodi. xxxi. 2.*

CONTEMPLATUR quoque in *Beseleele*, & *Ooliabo* præcipuos duos, post Principem Architectum, Christianæ Ecclesiæ Ædificatores, *Petrum Apostolum*, & *Paulum Doctorem Gentium*. *Glossa. Beseleel & Oliab sunt Petrus & Paulus, qui dno, post Christum, ædificaverunt Ecclesiam Iudaorum & Gentium.* *Beseleel enim, qui interpretatur. Umbra DEI, significat Petrum: navis ad tactum umbra eius, virtute Divinâ sanabantur infirmi, Actor. 9.* *Ooliab, qui interpretatur protectio, vel habitatio mea Pater, est Paulus, qui mente habitabat in Deo Patre omnium.* Unde ait ipse ad Philip. tertio: *Nostri conversatio est in cælis.*

ADDE, *Ooliab* hebraicè idem est, quod *Tabernaculum meum*, vel *Protectio Mea est Pater*, scilicet cælestis: filius *Achisamech* idem hoc est, q̄ *frater coniungens*. Hic igitur significare potest, Apostolos, virosque Apostolicos, qui per spem in DEUM DEIQUE opem, sibi protectionem, quam significat *Ooliab*, perque opem mutuam & fraternam, quam significat *Achisamech*, ædificasse Ecclesiam, quæ est Tabernaculum DEI, *Cornel. Exod. xxxi. 6.*

§. II. VOCARE & Nolle ex nomine. ] De Scientiâ approbationis, vel amoris, agitur I. Par. multa occurrunt in Saera Scriptura, quæ de illâ, vel accipi possunt, vel debent. *Ieremiæ 1. 5. Priusquam te formarem ex utero novi te.* *Amos 111. 2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terra.* *Psal xxxvi. 18. Novit Dominus dies immaculorum.* *Ioannis x. 14. Cognasco oves meas.* Et mox. *Sicut novit Pater: & ego agnosco Patrem.* *Ad Galatas iv. 19. Nunc autem cum cognoveritis DEUM, immodè, cognovistis à DEO.* Hoc intellectu aliqui

accipiunt illud ad Romanos VIII. 29. *Quos præsciuit & prædestinauit*, ut præscientiæ nomine significetur Scientia amoris vel approbationis. Item, verba Petri Apostol. epist. 1. c. 1. afferentis, Christum præcognitum fuisse, ante mundi constitutionem; loquebatur enim de Christi æterna prædestinatione.

Sic. *non cognoscere*, Deo tribuitur, respectu quorundam, quos non amat, nec eorum facta probat. Psalmo CIV. *Declinantem à me malignum non cognoscebam?* Quo loco Augustinus: Quid est non cognoscebam? id est, non approbavam, non laudavam, non mihi placebat. Psal. LXXIII. 9. *Iam non est Propheta: nos non cognosces amplius.* Eodem modo hominibus aliquando abscribitur cognoscere. Ad Hebr. VIII. *Cognosce Dominum*, id est, ama, cole Dominum; Syrus, scito timere, timorem præ amore usurpans.

1. Paralipom. XXVIII. 9. *Sciso DEVM Patris tui & servito ei corde perfecto & animo voluntario*: Sciebat DEVM notitia intellectus, & speculatiue, ut multi impij, non practice, Qualem scientiam negat esse in terra, Oseas cap. IV. 1. Hinc fortasse factum, ut Hebræi, cognoscere retulerint ad amoris carnalis finem aut actum, nempe, effectum per causam denotantes. Genes. IV. & sæpè postea, Nec illud ignorandum, quod obseruarunt Hebræi, ut verbum *Novi*, à Deo prolatum, magnam eius dignationem indicat, sic verbum *Nescio* magnam indignationem.

§. III. *DEI Vox loco superlativi.* ] Vltimatissimum id est in Sacra Scripturâ: in qua genitiuus *Domini*, eadem acceptione sumitur, *Spiritus Domini*, vel *DEI*, Genes. I. 2. id est, ut nonnullis placet, ventus magnus, vel excitatus ab illo, *Sagitta ac terrores Domini*.

Iob. VI. 4. Psal. XXVIII. 3. *Vox Domini super aquas*, ubi vocem, significat magnam, sicut Ezechiel. 1. 24. *Sonus sublimis DEI*. 1. Reg. XXVI. 12. *Sopor Domini*. Gen. VI. 1. *Filij DEI*, id est, ut explicat Olearster, magni, proceri, robusti.

nos (o) so  
f,

OPUS